



GYMNASIO REGIO

# THORVNIENSI

SACRA SÆCVLARIA TERTIA

A. D. VIII IDVS MARTIAS H. A. MDCCCLXVIII


FELICITER OBEVNTI

EX ANIMI SENTENTIA GRATVLANTVR

RESALVTANTES

GYMNASII CIVITATIS GEDANENSIS

RECTOR PROFESSORES MAGISTRI.





Quo me, Musa, rapis tui  
plenum? tempora quae, quae me agis in loca?  
uatem uertere saecula  
aduersoque iubes scandere flumine

illuc, illicem ad arduam  
traiecto Lechii gurgite Vistulae  
primam Balco ubi condidit  
arcem Christicolis Teutonica manu.

salue, porta Borussiae,  
per quam diua fides iuraque ciuium  
morumque ingenuus decor,  
et quaecumque animos flectere barbaros

consueuere, uiam sibi  
gaudent esse datam, posset ut inpius  
Percuni furor horridi  
tandem sanguineis parcere uictimis:



per quam com meat hinc et hinc,  
quidquid nauita opum Sarmaticus uehit,  
siue ille oceanum petens,  
seu portus referens munera Baltici.

a te Vistula quos rigat  
campos uomeribus Teutonicis dedit,  
Germanisque sub accolis  
humanae haud tenuem nauat opem rei.

o salue, Gedani soror,  
salue, Thorunium! te mea ciuitas  
iunctam non aliam sibi  
fortunaque animoque umquam habuit magis.

uos commercia, uos genus  
commune Arminia ductum ab origine,  
uos purae pietatis et  
libertatis amor non pavidus mori

iunxit, uos dominantium  
fastosae insidiae continuere, uti  
fausta infausta eadem fere  
non fractis animis perpeteremini,

donec fata Poloniae  
implentur. tenet hanc nunc, tenet alteram  
idem Prussiaci atque, io,  
idem Teutonici nominis arbiter.

Musarum hospitio pares  
ambae: tu tamen es clarior edito,  
qui caeli meruit stator  
dici, Thorunium, clara Copernico.

sed quo tempore Saxonis  
uirtute egregia fracta repagula  
sunt euangelio, scholis,  
doctrina ac pietas quis reuiesceret,

condendis studio pares  
certastis geminae, uixque decennio  
te uicit Gedanum, tuis  
non hoc inuida, non noxia laudibus.

siue a particula cluet,  
seu nunc gymnasium nomine dicitur,  
claris ista uiris schola  
discentumque fuit nobilis agmine,

quos tu uel tua pignora  
nutribas, patriae spem, uel ab exteris  
ducebas decoris tui  
fama, gentibus et dissimiles locis.

quae nunc, ut nemore in sacro  
quercus praesidio tuta Iouis, uiret  
sospes per tria saecula,  
non intacta quidem fulmine, sed uiret.

non hanc saeua quirit lues,  
non hanc, innocuum fundere sanguinem  
durus, perdere carnifex,  
non belli fragor et sceptrum ruentia.

et semper uireat, precor,  
doctis laeta uiris, laeta docentibus,  
discentumque fideliter  
artes usque ferax, usque feracior!

postremum, o Gedani soror,  
salue, Thorunium! sis placido Deo  
felix! stes opulentia,  
stes uirtutis honore et patria fide!

R.

